

corum sputa & empycorum purulentam materiam sæpissime per pulmones expectorari experientia confirmet practica. Febris oritur in invalescente malo partim ab obstructione viscerum, partim ab ulcerationibus ambientium partium ab acri sero jam factis, partim etiam, ut mihi videtur, à resorpto acri tenuiori liquamine, humoribus misto. Paralysis & Torpor brachiorum, tum & tumor, ab vasorum sanguiferorum & nervorum compressione deduci potest, imo & humorum visciditate, atque immeabilitate & refluxu impedito, unde & œdemata pedum accedunt, & sæpius ascites, imprimis si labes abdominalium viscerum accesserit; frigus extremorum fit ab impedito influxu & stagnante sero in extremis, tum & à visciditate humorum, ac quia pulmones suo non funguntur officio, unde cachexia oritur, quam asthmatis diuturno etiam succedere frequentissime observatur. Reliqua symptomata ex iisdem causis commode satis explicari possunt, sed nos brevitati studentes ad prognosin examinandum transitum facimus.

CAPUT QUARTUM

De

P R O G N O S I.

Prognostica signa sequentia sunt. Est morbus hic creditus quidem rarior, sed sane frequentior, quam plerique Medici putant, ut ex Praxi ipsa testatur GILG *loc. cit.* & ex incisionibus cadaverum ex pluribus Authoribus & BONETUS in *Sepulchreto*, & VRATISLAVIENSES *loc. cit.* satis bene notarunt; sciendum vero est, omnem quidem pectoris hydropem periculosum

culosum esse, in initio vero sæpe satis curabilem, modo signa diagnostica bene perpendantur, corpus cætera sanum sit, robur ægri adsit ac bona instituat medicatio atque diætã; si vero radicans ac confirmatus fuerit morbus, ut plurimum lethalis est, ac periculosior fere ascite ac anasarca; curari tamen aliquando potest, etiam ille qui satis confirmatus est, ut testantur Observationes, imprimis si viscera non nimium sint labefactata, si appetitus non plane prostratus, ac æger nondum senex sit, aut magno labore & molimine, summaque industria hic opus esse comperimus, magnaque in curando requiritur patientia. Id vero dolendum, quod, ut ascitici, sic & nostri hydrofici facile recidivam patiantur, imprimis si continuationem remediorum negligant, ut in sex rebus non naturalibus rursus enormes errores committant; tumque recidiva peior est priori morbo, ac plerumque lethalis, ut in nostro Ægro, qui debitis remediis sic satis bene curatus ex neglectu diætæ & aëris convenientis recidivam passus dein curari non potuit; lethaliior etiam si ascites, vel alius morbus, successerit, si superiora emacientur ac inferiora magis tumeant, gravisque febris superveniens tolli non possit; est ille etiam hydrops pectoris periculosior, in quo urinæ parcissime fluunt, ac sunt intensæ rubedinis cum sedimento rufescente, tum ille in quo respiratio est difficillima, ac qui aliis morbis succedit. Moriuntur vero plerumque suffocati, nimia quantitate feri pulmones ita comprimente ut respiratio omnis cesset; moriuntur etiam hectici aliquando à resorpto acri, aut corrupto pulmone, in quo Casu ante mortem aquam putridam exspuunt; moriuntur etiam aliquando apoplectici, tum ob serum etiam in cerebrum effusum, aut inter ejus anfractus ac cavitates sensim accumulatum, aut ob transitum per pulmones plane impedi-

E

tum,

tum, sicque restagnationem in capite; aliquando etiam convulsi moriuntur, ab acri sero cerebrum & piam matrem irritante; post mortem hinc observatum aliquoties aquam fuisse tenuem, alias serum acre ichorosum, aliquando humorem subalbidum crassum, vel aliquando purulentum & ulcerosum, unde lethalitas morbi nimium progressi facile cognoscitur, ac post miserias longo tempore toleratas variaque tristia symptomata morbo progressu ægros plerumque mori observatur.

CAPUT QUINTUM

De

CURATIONE HYDROPI PECTORIS.

IN curatione difficilis hujus morbi sequentes sunt observandæ indicationes: primo, colluvies serosa in cavo pectoris aut & pulmonibus, congesta quovis modo est evacuanda; secundo præcavendum, ne de novo serosus latex in cavum hoc effundatur; tertio, humorum & viscerum sunt corrigenda vitia; quarto, symptomatibus occurrendum; quinto, sollicita diæta instituenda est. Omnia hæc quidem difficilia sunt, sed gravissimus affectus potentia actutum requirit remedia. Quæritur jam primo, an externis vel chirurgicis remediis aliquid obtineri possit; De V. Sectione disputant Authores, &, ut verum fateamur ea ad summam rei nihil facit, imo in invalescente omni hydrope nocet, unde & VRATISLAVIENSIBUS & Aliis rejicitur; in plethora tamen præsentem morbo nondum nimis progressu, respiratione difficili urgente,